

DISPUTATIO XVII.

*De pœnis peccatorum.*

**C**Um omne peccatum sit inordinatio quædam, hinc per illud effert se peccans contra eum, qui ordinem conservare quarit, unde conservator ordinis peccantem sibi contrarium deprimit, ac ita correspondent peccatis pœnæ, de quibus sit:

Q U Æ S T I O I.

*An reatus pœnæ sit effectus peccati?*

**N**Ota: reatum distingui in reatum culpæ, & reatum pœnæ; reatus culpæ est illa subjectio, quâ peccator post commissum peccatum est objectum divinæ indignationis, quem Deus meritò aversetur, insimul quali captivus tenetur sub servitute peccati, & impotens est, ut ab ejus maculâ propriis viribus sese expediat; in hoc sensu reatus culpæ originalis vocatur illa necessitas, cui subsunt posterii ex Adamo descendentes, ut in primo instanti conceptionis sint privati justitiâ originali, digni inimicitiaâ divinâ. Reatus pœnæ est, ex quo aliquis est reus pœnæ sustinendæ; adhuc reatum tria concurrunt: primum est ipsa peccatoris condignitas & proportio ad pœnam pro ratione culpæ commissæ subeundam; sicut enim qui facit opus meritorium, hoc ipso dignus est præmio; ita, qui facit opus malum sive demeritorium, hoc ipso dignus est supplicio & reus pœnæ; alterum est activa obligatio seu extrinseca ordinatio peccantis ad pœnam subeundam, quam facit is, qui habet potestatem leges pœnales ferendi & exequendi. Demum tertium est passiva obligatio, sive denominatio extrinseca ab illâ activâ ordinatione proveniens, per quam peccator denominatur obligatus ad pœnam.



DICO. *Reatus pœnæ directè ponitur effectus peccati*  
S. Th. hic Q. 87. a. 1. ad 2.

Probatur: quod ex natura rei sequitur ad peccatum est effectus peccati directè, cum illius peccatum sit causa, sed reatus pœnæ ex naturâ rei sequitur ad peccatum, hoc ipso enim, quod peccans contra voluntatem superioris pœnam infligere potentis agit, dignus efficitur, ut ab eodem puniatur. Etiam ordinavit Deus peccatum ad pœnam, ut ex singulis sacræ scripturæ paginis patet v.g. Matth. 25. de peccantibus mortaliter: *Ibunt hi in supplicium æternum & Apocal. 18. quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum & ps. 10. Pluet super peccatores laqueos, ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Nec ullum de hoc apud fideles dubium esse potest, qui timore pœnarum à peccatis retrahuntur.

Sed apud Theologos est controversum: in quo formaliter reatus ille pœnæ consistat; melius videntur explicare id, qui dicunt, quod reatus pœnæ inchoativè consistat in intrinsecâ condignitate peccatoris ad pœnam, completè autem in denominatione extrinsecâ seu passivâ obligatione ad pœnam subeundam.

Ratio 1<sup>mæ</sup> partis est: quia quod primò concipitur in reatu, est esse dignum supplicio: non enim deputatur aliquis ad pœnam antequam sit dignus pœnâ, quem admodum aliquis priùs supponitur dignus præmio antequam deputetur ad præmium habendum; imò peccans potest esse dignus pœnâ, quantumvis non deputetur ad pœnam, & si quis deputaretur ad pœnam subeundam absque suâ culpâ non haberet reatum pœnæ, siquidem non esset dignus pœnâ.

Ratio 2<sup>dæ</sup> partis est: quia nisi accedat divina deputatio ad pœnam, macula peccati non sufficit ad tribuendum effectum reatûs, ut constat in damnatis, qui licet

con-

consequenter non  
damni aut sensus  
divina iustitia se  
deputat,  
in exerciti  
non tamen iis r  
divinæ ordinati  
ad præmium  
ad pœnam rec  
reatus &  
An reatus pœn  
intrinsicâ?  
Reatus pœnæ  
reatus.  
pœnæ partis  
in quâ reatus  
quid realiter su  
reatus vel ratio  
ordinati  
nulla relatio  
macula pecc  
vid. pœna  
quia n  
demur  
illan  
in pecca  
reatus igitur p  
quâ e  
sibi o  
autem ra  
subiectum  
& sicut eadem f  
hominem fat  
secundariò ante



continuò peccent, non tamen de novo demerentur, & consequenter non contrahunt novum reatum pœnæ damni aut sensûs ex defectu divinæ ordinationis: quia divina justitia solum peccatores in viâ constitutos ad pœnam deputat, sicut etiam beati, quamvis perpetuò sint in exercitio nobilissimorum actuum Charitatis, non tamen iis merentur novum præmium ex defectu divinæ ordinationis, quæ solos actus viatorum acceptat ad præmium; divina igitur ordinatio & deputatio ad pœnam requiritur per modum conditionis complementis reatum & efficaciam demeritoriam peccati.

*Q.* An reatus pœnæ distinguatur à macula sive peccato habituali?

*R.* Reatum pœnæ distingui à maculâ non realiter, sed virtualiter.

Ratio primæ partis est: quia, si condignitas ad pœnam, in quâ reatus pœnæ, ut vidimus, consistit, esset aliquid realiter superadditum maculæ, id esset vel relatio realis vel rationis, vel denominatio extrinseca perveniens ab ordinatione divinâ; non est relatio realis: quia nulla relatio realis fundatur in privativo, quale hic est macula peccati. Sæpè etiam terminus illius relationis; vid. pœna: non existit, non est autem relatio rationis: quia nemine cogitante peccator habet reatum pœnæ; demum non est denominatio extrinseca; quia ante activam illam ordinationem & deputationem ad pœnam est in peccatore intrinseca condignitas demeritoria, reatus igitur pœnæ est ipsa macula peccati, quæ sub eâ ratione, quâ connotat animæ supernaturalem pulchritudinem sibi oppositam, vocatur macula peccati, sub eâ autem ratione, quâ connotat pœnam, cui peccatorem subjectum denominat, dicitur reatus pœnæ; & sicut eadem forma gratiæ sanctificantis primariò facit hominem sanctum & participem naturæ divinæ, secundariò autem dignum vitâ æternâ; ità econ-



trâ privatio gratiæ sanctificantis primariò reddit hominem maculatum, Dei inimicum, secundariò autem dignum pœnâ æternâ.

*Obj.* Deletâ maculâ peccati non est ablatuſ reatuſ pœnæ, ergo reatuſ pœnæ realiter diſtinguitur à macula peccati. *Ant.* patet in peccatore juſtificato, qui deletâ peccati mortaliſ maculâ per gratiam habitualem manet adhuc obligatuſ ad pœnam temporalem ſub-eundam.

*R.* Diſtinguendo ant. Deletâ maculâ peccati manet reatuſ pœnæ ſimpliciter acceptæ *N.* Pœnæ ſatisfactoriæ *Con.* Eſt ſolutio *S. Th.* hic *Q. 87. a. 6.* Hanc aſſignantis diſparitatem: quod pœna ſimpliciter ſit contrâ voluntatem ejus, qui patitur, manente macula peccati contrariatur voluntas peccatoris voluntati Dei, & ira dignuſ eſt, ut patiatuſ ex voluntate Dei illud, quod ipſiuſ voluntati ſimpliciter repugnat, aufertuſ autem macula *per hoc, quod anima Deo conjungitur* (inquit *S. D.*) *per cujuſ diſtantiã detrimentuſ proprii nituſ incurrebat, quod eſt macula.* *Conjungitur autem Deo homo per voluntatem.* E contra pœnam ſatisfactoriam non patitur homo juſtificatuſ contrâ ſuam voluntatem ſimpliciter ſed conformanſ ſuam voluntatem voluntati divinæ ut ruruſ *S. D.* *Pœna autem ſatisfactoria, eſt ſecunduſ abſolutam conſiderationem ſit contrâ voluntatem, non tamen ut nunc, & per hoc eſt voluntaria.*

## QUÆSTIO II.

*Quenam eſt in alterâ vitâ peccati originaliſ pœna?*

**S**uppono *1.* In ſolo peccato originali decedenteſ puniuntur pœnâ damni; quod tam clarè ex ſcriptura patet, ut id etiam Pelagiani admittere ſint coacti, ut ex *S. Aug.* probat *Bellarminus to. 4. controv. 2. lib. 6. cap. 1.* parvuloſ itaque in peccato originali decedenteſ excludebant à regno Dei, attamen dabant illiſ vitam æter-

De Poen  
 naturam & naturalem  
 dolore; contra  
 non baptizati t  
 ad Rom  
 homines in con  
 Qui credit  
 carum incredula  
 Deo manet super  
 id. ſell. ſ. de pecc  
 naturam illum per  
 pœnæ corporis  
 aſſiſſe, Non a  
 Anathema ſi  
 ut demonſtran  
 per antiquiſſima tr  
 uniuſ ſacer  
 ſolus. i. v. 13.  
 tranſiſſit i  
 beati eſſe nor  
 ergo in pec  
 æternuſ  
 difficultaſ: an  
 autan præter  
 ſenſuſ & igne  
 Peccato o  
 debetur pœna ſenſa  
 in hac vitâ pa  
 ſiſſe huiuſmodi  
 Th. 1. p. Q. 1. a. 4.  
 Probatur concluſio  
 de bapt. Ubi Inn  
 originaliſ eſt carentia  
 pœna gehenna per  
 Probatur 2. ratiõ  
 carentiaſ pœnaliſ; pe



æternam & naturalem beatitudinem sine ulla molestia aut dolore; contrà quem errorem sunt sequentia: parvuli non baptizati tum in hâc, tum in alterâ vitâ sunt condemnati ad Rom. 5. v. 18. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* Sunt filii iræ Jois 3. v. 36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Animâ sunt mortui, juxtâ Trid. sess. 5. de peccato orig. can. 2. *Si quis asserit. . . inquinatum illum per inobedientia peccatum, mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, Non autem & peccatum, quod mors est anima, Anathema sit.* Demum sunt sub potestate Diaboli; ut demonstrant exorcismi & exsufflationes, quibus ex antiquissima traditione Ecclesiæ in Sacramento Baptismi utitur Sacerdos. Et patet etiam ex illo Apost. ad Coloss. 1. v. 13. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum & transtulit in regnum filii dilectionis sue.* Atqui tales beati esse non possunt, nequidem beatitudine naturali; ergo in peccato originali absque baptismo decedentes æternum sunt miseri & infelices; superest difficultas: an solùm sint miseri propter pœnam damni, aut an præter pœnam damni etiam sustineant pœnam sensûs & igne infernali æternum crucientur?

DICO. *Peccato originali in futurâ retributione non debetur pœna sensûs; pœnalitates tamen quas sensibiliter in hâc vitâ patimur, sicut famem, sitim, mortem & alia hujusmodi ex peccato originali procedunt, S. Th. 3. p. Q. 1. a. 4. ad 2.*

Probatum conclusio 1. ex cap. majores 3. §. sed adhuc de bapt. Ubi Innocentius III. dicit: *Pœna peccati originalis est carentia visionis Dei, actualis verò peccati pœna gehenne perpetua cruciatus.*

Probatum 2. ratione: pœna sensûs est passio & cruciatus personalis; peccatum autem originale non est pec-



peccatum personæ, sed potius naturæ; pœna sensûs infligitur ob inordinatam conversionem ad bonum commutabile, quâ quis propriâ voluntate suum commodum & delectationem in bono creato peccando quæsivit: juxtâ citatum textum Apoc. *Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*; atqui talis conversio non reperitur in peccato originali. Præterea pœna sensûs est effectus reprobationis positivæ, sed hæc præsupponit prævisionem peccati proprii personalis, ergo etiam pœna sensûs illam præsupponit. Denique licet nulla alia ratio foret, videtur convenientius esse divinæ misericordiæ, quæ simul cum justitiâ in omnibus operibus relucet, ut non puniat pœna sensûs parvulos, qui alienâ voluntate peccarunt, qui etiam eos qui propriâ voluntate peccarunt intrâ condignum punit.

*Obj. I.* Plura loca S. Aug. & signanter serm. 14. de verb. Apostoli ubi docet: reos peccati originalis parvulos sine Baptismo discedentes à sinistris futuros & abituros in combustionem æternam. *Tunc, inquit, abibunt isti in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam. Ecce exposuit tibi, quid sit regnum & quid sit ignis æternus, ut quando confiteris parvulum non futurum in regno, fatearis futurum in ignem æternum.*

2. Existentes in solo peccato originali in hâc vitâ puniuntur pœnis sensibilibus, non autem est dicendum, quod mitius in alterâ, quàm in hac vita puniatur peccatum originale.

3. Peccatum veniale punitur pœnâ sensibili, ergo multò magis peccatum originale, quod licet sit voluntate alienâ commissum, attamen longè gravius est, quam peccatum veniale; demum in peccato originali decedentes sunt filii iræ, iis autem: quibus Deus iratus erit in æternum, pœnas sensibiles infligere potest

ur

perpetè docet S.  
 quæ in gente Pro  
 manda naturâ su  
 in condita, filii p  
 ad I. & ult. C  
 Quod nomen torm  
 vel si quid fin  
 il large accipienda  
 re, ideo autem  
 cretibilem rede  
 scribit in parvul  
 nam panam deberi  
 in ignem & aquam  
 Ad 2. 3. Mors &  
 propriè dicitur peccat  
 peccato originali, se  
 per peccatum or  
 reparata.  
 Ad 3. 3. peccatu  
 quo homo præter leg  
 dicitur creatur, ide  
 QU  
 Que & quali.  
 DICO: Ille, qu  
 & contra lege  
 nam unde triplicem  
 ipse, aliam verò a  
 Th. hic Q. 87. a. 1. C  
 explicatur conclu  
 que tum in alia pecc  
 lupus & alterius vitæ  
 rō diminuit pecca  
 bonum, quavis en  
 peccatus omnis inclina



ut apertè docet S. Aug. tract. 44. in Joem. *Apostolus natus in gente Prophetarum dicit, fuimus & nos aliquando naturâ filii ira, sicut & cateri. Si filii ira, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ.*

R. ad 1. & ult. Cum D. Ang. Q. 5. de mal. a. 2. ad 1. *Quod nomen tormenti, supplicii, gehenna, & cruciatus, vel si quid simile in dictis Sanctorum inveniatur, est largè accipiendum pro pœnâ, ut ponatur species pro genere, ideò autem sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi. Simile est in ps. 65. Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

Ad 2. R. Mors & morbi in hac vita non sunt pœnæ propriè dictæ peccati originalis, cum maneant remisso peccato originali, sed sunt pœnalitates relictæ in natura per peccatum originale corruptâ & gratiâ Christi reparatâ.

Ad 3. R. peccatum veniale est peccatum personale, quo homo præter legem Dei ob commodum proprium adhæret creaturæ, ideoque illi debetur pœna sensûs.

### QUÆSTIO III.

*Qua & qualis pœna est peccati actualis?*

**D**ICO: *Ille, qui peccat, agit & contra rationem, & contra legem humanam, & contra legem divinam unde triplicem pœnam incurrit, unam quidem à seipso... aliam verò ab homine, tertiam verò à Deo. S. Th. hic Q. 87. a. 1. O.*

Explicatur conclusio: varias peccati actualis pœnas, quas tum in alia peccata impellendo, tum afflictiones hujus & alterius vitæ inducendo, peccanti affert.

Idò diminuit peccatum inclinationem naturalem ad bonum, quamvis enim per peccatum non extinguatur penitus omnis inclinatio ad bonum honestum & ratio-

nis,



nis, cum non tollatur rationalitas, illa tamen diminuitur & multum debilitatur per peccatum: quia per peccatum actuale producitur habitus vitiosus & dispositio inclinans in similes actus peccaminosos. 2dò causatur ignorantia in intellectu: quia peccator mentem habet totam ad terrena inclinatam, nec vult ad æterna & salutaria erigere. uti de duobus adulteris dicitur Dan. 13. *Everterunt sensum suum & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum, nec recordarentur iudiciorum justorum.* 3tò causat malitiam in voluntate, quia voluntas quamvis sæpiùs primò ex infirmitate peccet, attamen peccato assuefacta sciens volens peccatum admittit, volendo & amando bonum temporale, quamvis inde passuram se bonorum spiritualium jacturam agnoscat, unde S. Bern. lib. 1. de consid. cap. 2. *Processu temporis, si assuescas, iudicabis non adeò grave, paulò post & leve senties, paulò post nec senties, paulò post etiam delectabit, ita paulatim in cordis duritiam iur.* 4tò causat libidinem & amorem sensibilis voluptatis in parte concupiscibili, ratione cuius pars concupiscibilis ordinem à naturâ vel Authore naturæ constitutum pervertit, & cum inferiora superioribus subdi debent, superiora inferioribus deserviunt, & inferiora superioribus reluctantur, hanc concupiscentiæ vehementem propensionem & rebellionem esse pœnam peccati docet Trid. sess. 5. de peccato orig. Ided enim concupiscentia ab Apostolo peccatum appellatur, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. 5tò causat difficultatem recti & torporem appetitûs irascibilis, hic effectus oritur ex præcedenti, cum enim appetitus toto impetu sensibilia concupiscat, non potest nisi difficulter ad spiritualia & æterna tendere, unde lamentatur S. August. lib. 8. Confess. cap. 5. *Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat & constrinxerat*

erat me. Quipp  
 & dum servi  
 con consuetudini  
 quânsus q  
 appellavi,  
 ex peccato ori  
 patrant, u  
 agit, odit l  
 unduntur dep  
 sibi, sed n  
 uant, 7mò u  
 uatio voluntat  
 peccata pro  
 uaturas conver  
 habens frequen  
 sunt accomi  
 quamvis pec  
 rationem  
 illius, qu  
 tum qu  
 Deus enim non est  
 adiun  
 afflictione  
 illud  
 inordinatu  
 Denim in peccat  
 mortali mor  
 ad infernum dese  
 11. v. 13. Ducunt  
 inferna descendunt.  
 12. v. 12. In infer  
 XII. quæ inc  
 infernales futu  
 66. v. 24. Vermis  
 rum non extinguetur  
 1. 2. Theol. Sc



*serat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, quibus quasi ansulis quibusdam sibi innoxis, unde carenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus, Et ex peccato oritur infamia, quia perversi malum quod patrant, ut bonum defendere conantur, qui malè agit, odit lucem, peccatores latere gestiunt, confunduntur deprehensi, negant accusati, convicti non sibi, sed naturæ vel fato aut astris culpam attribuunt. 7mò unum peccatum inducit in aliud, quia inclinatio voluntatis per peccatum corruptæ ad nova & nova peccata propendet: cor enim à Deo aversum ad creaturas conversum bonum proprium pro ultimo fine habens frequentissimè datâ occasione eligit, quæ suo fini sunt accommodata, & suæ propensioni consentanea, quamvis peccatum in se spectatum non habeat propriè rationem pœnæ: tum quia pœna repugnat voluntati illius, qui punitur, culpa autem semper est voluntaria; tum quia Author pœnæ est iudex puniens, Deus autem non est causa peccati: attamen peccatum prout habet adjunctum mœrorem, remorsum conscientiæ, afflictionem spiritûs, rationem pœnæ habere potest juxtâ illud S. Aug. Jussisti Domine & ita est, ut omnis inordinatus animus pœna sit sibi.*

Demum in pœnam peccati animæ illorum, qui in peccato mortali moriuntur juxtâ legem communem statim ad infernum descendunt, ut probatur ex illo Job. 21. v. 13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Luc. 16 v. 23. *Mortuus est dives & sepultus est in inferno.* Et definitum est in Extrav. Benedicti XII. quæ incipit: *benedictus Deus.* Pœnæ autem infernales futuræ sunt æternæ ut constat ex illo Is. 66. v. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Matth. 25. *Ibunt hi in suppli-*



*cium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Quod intelligendum est de lege communi & ordinariâ: quia non est dubium, quin Deus speciali privilegio cum aliquo vel aliquibus, si voluerit, possit in prædictâ lege dispensare, ut vel mortui in peccato non damnentur, vel jam damnati ex inferno eruantur.

*Q.* An ex lege iustitiæ peccato mortali debeatur pœna æterna?

*R.* Affirmativè, cujus ratio est: quia peccato ex se habenti inordinationem irreparabilem per se debetur pœna æterna & interminabilis: quia quamdiu manet causa necessaria, tamdiu manet effectus ipsius, inordinatio enim culpæ est causa pœnæ; sed peccatum mortale habet ex suâ naturâ inordinationem irreparabilem: quia per peccatum mortale destruitur principium totius ordinis supernaturalis, nimirum gratia & charitas; sicut igitur mors & cæcitas sunt ex natura sua irreparabiles: quia mors est privatio principii vitæ, cæcitas est privatio principii visûs, ita peccatum ex sua natura est irreparabile: quia est privatio gratiæ & charitatis, quæ sunt principia vitæ supernaturalis.

#### QUÆSTIO IV.

*Quæ & qualis pœna est peccati venialis etiam post hanc vitam?*

**D**ICO. *Peccata venialia multiplicantur in homine manente spiritali edificio, & pro istis patitur ignem vel temporalis tribulationis in hâc vitâ, vel purgatorii post hanc vitam, & tamen salutem consequitur æternam.* S. Th. hic Q. 89. a. 2. O.

Explicatur conclusio adducendo peccati venialis pœnas: quemadmodum peccatum mortale duplicem pœnam adfert, unam in hâc vitâ subeundam, quæ statim peccatum mortale ut commissum sequitur, alteram post vitam extolvendam; itâ etiam peccatum veniale &

in

in hac vita & po  
in hac vita pœn  
charitatis, live  
nem: cum enim  
itati, non pot  
nem, & consequ  
per peccatum ven  
diminutio in hoc  
impeditur volun  
quia enim per pec  
tate præter Deum  
trahuntur specialia  
bus sit torpidus,  
deus; pœna pecc  
quænterum duplex  
pœna damni consil  
veniale anima reme  
tam expiationem &  
tam quoad reatum  
non est capax anima  
tam intrabit in re  
aliquid autem in  
tanti, ita maxima  
quod, dum sunt anit  
pedantur ab exopta  
sensu consilii in de  
maz in purgatorio su  
quam mortalibus in  
& quamvis non sit d  
corporeo igne torq  
de purgatorio cap. 1  
ter in Ecclesia recepi  
non posse negari ig  
1. ad Cor. 3. v. 13.  
probat. v. 13. si cuius



in hac vita & post hanc vitam à justo Judice punitur: in hac vita pœna peccati venialis non est destructio charitatis, sive quoad habitum, sive quoad intensiorem: cum enim peccatum veniale non opponatur charitati, non potest destruere charitatem quoad habitum, & consequenter quoad gradus intensiorem, sed per peccatum veniale diminuitur fervor charitatis, quæ diminutio in hoc consistit, quod per peccatum veniale impediatur voluntas prorumpere in actus charitatis: quia enim per peccatum veniale voluntas adhæret creaturæ præter Deum, desistit ab exercitio charitatis, subtrahuntur specialia auxilia, homo in exercitiis spiritualibus fit torpidus, & paulatim disponitur ad graviores lapsus; pœna peccati venialis in hac vita nondum expiati iterum duplex est: pœna damni, & pœna sensûs; pœna damni consistit in eo, quod propter peccatum veniale anima remouetur à visione Dei, quia ante plenam expiationem & remissionem peccati cujuscunque tam quoad reatum culpæ, quam quoad reatum pœnæ non est capax anima videre Deum, nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cœlorum Apocal. 21. Quemadmodum autem maxima pœna damnatorum est pœna damni, ita maxima pœna animarum purgantium est, quod, dum sunt animæ Dei filiæ adoptivæ, tamdiu impediuntur ab exoptatâ visione Dei ultimi finis. Pœna sensûs consistit in doloribus & cruciatibus, quos animæ in purgatorio sustinent pro peccatis tam venialibus quam mortalibus in hac vita non sufficienter expiatis; & quamvis non sit de fide animas in purgatorio vero & corporeo igne torqueri, ut notat Bellarminus lib. 2. de purgatorio cap. 11. Est tamen certum & communiter in Ecclesia receptum, ut videatur absque temeritate non posse negari ignis purgatorii, ut colligitur ex illo 1. ad Cor. 3. v. 13. *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit, v. 15. si cujus opus arserit, detrimentum patietur,*



*ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quæram locum in Con. Florentino tam Græci quam latini P.P. intellexerunt de igne Purgatorio. Utraque autem pœna tam sensûs quam damni pro peccato veniali in alterâ vitâ in animabus in gratia discedentibus est temporalis: cum enim sint in gratia & charitate, jus habent ad æternam gloriam, & ut datâ satisfactione aut satisfatione pro restantibus debitis ad æternam retributionem admittantur.

*Q. 1.* An ille, qui in peccato mortali & veniali moritur, pro peccato veniali sustineat pœnam æternam?

*R.* Affirmativè. Ratio est: quia tamdiu manet obligatus ad pœnam, quamdiu ipse non solvit, vel creditor non dimittit; atqui ille, qui in peccato mortali ex hac vita discedit, neque unquam solvit debitum pœnæ, quod peccando venialiter incurrit, nec eidem à Deo pœna dimittitur: non solvit: quia manet obstinax in omnibus peccatis, in quibus discessit, & ut satisfaceret Deo, deberet offerre satisfactionem acceptabilem; at Deus non acceptat opus existentis in peccato mortali, & nihil, quod extrâ gratiam existens patitur, aut facit, est Deo acceptabile; Deus etiam non remittit pœnam: quia omnis remissio pœnæ apud Deum est effectus gratiæ meritorum Christi.

*Obj. 1.* Ex his sequitur, quod detur peccatum veniale, quo peccator mereatur pœnam æternam.

*R.* Distinguendo: quo mereatur pœnam æternam per accidens Con. per se N. Æternitas enim pœnæ non est ex intrinsecâ condignitate & demerito culpæ venialis, sed ex conjunctione cum peccato mortali & conditione subjecti, cui in statu damnationis constituto peccatum veniale remitti non potest.

*Obj. 2.* Deus punit peccata citrà condignum, si autem veniale peccatum puniret pœnâ æternâ, illa punitio

nitio foret ultrâ  
meritoria peccati  
in æternum pur  
mortali mutat nat  
citrà suum ger  
Peccatum ve  
demeritoriam pœn  
non exigit majore  
amen positivè: q  
est in triplici statu  
Deo gratum per gr  
magis pœnam temp  
tem, add prout co  
peccatum mortale,  
tam, quia ex con  
in sensu composito t  
connotatione & co  
erigentiam negativam  
habet determinatam  
peccatum sit in statu pe  
Deo exsolvi & in sen  
carum veniale refun  
tam pœnæ.

*Q. 1.* An peccat  
um in hac vita & non  
punitur pœnâ ætern  
*R.* Negativè. rati  
onem in hac vita comin  
entem pœnam; si De  
etiam exsolutam d  
citrà condignum;  
ad pœnam solum tem  
Non obstat: quo  
quæquam vis extrâ st  
tio, potest tamen



nitio foret ultrà condignum, quia cum exigentiâ demeritoriâ peccati venialis ad pœnam temporalem, illud in æternum puniret; nec conjunctio cum peccato mortali mutat naturam peccati venialis, aut illud trahit extrà suum genus.

R. Peccatum veniale ex suo genere habet exigentiam demeritoriam pœnæ temporalis solum negativè, sive non exigit majorem pœnam quam temporalem; non tamen positivè: quia peccatum veniale considerari potest in triplici statu: 1. mò prout connotat subjectum Deo gratum per gratiam, & hac ratione determinatè exigit pœnam temporalem, & excludit pœnam æternam, 2. dò prout connotat subjectum Deo exosum per peccatum mortale, & sic positivè exigit pœnam æternam, quia ex conditione talis status fit irremissibile in sensu composito talis statûs. 3. tiò prout præscindit à connotatione & conditionibus subjecti, & sic habet exigentiam negativam pœnæ temporalis, & tantum habet determinatam exigentiam pœnæ æternæ, si subjectum sit in statu peccati mortalis, eò quod subjectum Deo exosum & in sensu composito illius status in peccatum veniale refundit irremissibilitatem tam culpæ quam pœnæ.

Q. 2. An peccatum mortale quoad culpam remissum in hac vita & nondum plenè expiatum in inferno puniatur pœnâ æternâ?

R. Negativè. ratio est: quia remisso peccato mortali in hac vita commutata fuit pœna æterna in temporalem pœnam; si Deus propter hanc pœnam in hac vita nondum exsolutam damnatum æternam puniret, puniret ultrà condignum: cum mortuus sit cum condignitate ad pœnam solum temporalem pro peccato hic remisso;

Non obstat: quod damnatus sit extrà statum viæ; quia quamvis extrà statum viæ non possit fieri satisfactio, potest tamen dari satisfactio.



Nec obest: quod damnatus sit obstinatus in malo; quia non est obstinatus in peccatis in hac vita remissis.

Nec obstat: quod pœnæ damnatorum sint immutabiles; quia quamvis pœna essentialis damnatorum mutari non possit, pœna tamen accidentalis, quæ debetur ob peccatum mortale in vita remissum, mutari potest.

Denique nec obest: quod existens in peccato mortali pro pœna temporali propter peccatum mortale remissum in hâc vitâ satisfacere nequeat; quia in hâc vitâ solum locum habet satisfactio, quæ extrâ statum gratiæ à Deo non acceptatur, in alterâ vitâ locum habet satisfactio

## DISPUTATIO XVIII.

### *De legum essentiâ, distinctione & subjecto.*

**P**ost considerationem eorum actuum, quibus ad Deum ut ultimum finem pervenimus, vel ab eo recedimus, nunc pergit Angelicus Doctor ad expendenda illa, quibus Deus nos circâ agenda instruit, quæ sunt leges, & quo ad agenda juvat, quod est gratia. Lex à legendo est dicta eò, quod olim solebant in publicis tabulis leges scribi, & populo legendæ proponi, vel ut alii volunt à ligando, eò quod homines legibus ligentur & obligentur ad aliquid præstandum vel omittendum. Lex metaphoricè sumitur pro inclinatione & propensione in aliquem finem naturaliter impressâ ut Prov. 8. v. 29. *Legem ponebat aquis ne transirent fines suos.* Sic etiam ab Apostolo ad Rom. 7. v. 23. Inordinata inclinatio appetitûs sensitivi lex membrorum, lex peccati appellatur. Lex propriè sumpta est regula directiva actuum humanorum in bonum. De hâc regulâ agunt Theologi in quantum ab increatâ justitiâ derivata hominem à vitiis avocatur & ad Deum ultimum finem supernaturalem consequendum disponit.

QUES.